1749

I-21881

Decretum –

Pro Ecclesia Curata ad S. Genesium Epi. et Martyrem in Wengen.

1mo Clavis ad Tabernaculum inaurari debet.

2do Ciborium tali modo reficiendum ut strictius et arctius ab eius coopertorio claudatur.

3tio SS. Particulae saepius renovandae et Ecclesia de hostiis melioris conditionis providenda.

4to Quando exponitur SS.mum loco genuflexionis iuxta rubricas utroque genu fieri debet adoratio.

5to Bursa in qua defertur SS.mum ad infirmos ob decentiam distincta sit ab ea in qua asservatur oleum infirmorum.

6to In expositione SS.mi in ostensorio sex candelae ardeant pro maiori solemnitate, quam in Ciborio

7mo Coopertorium Baptisterii pervetustum et rimosum decenter reformetur.

8vo Vas cupreum in quo continetur aqua baptismalis per totum lapidem extendendum et interius stannandum.

9no In confectione Baptismi sacra olea parcius infundenda, ne fiat aqua baptismalis adeo turbida.

10mo Cochlear quo baptizantur infantes, argenteum vel saltem stanneum et pro facili affusione adaptatum esse debet.

11mo Sacrarium in pavimento de novo effodiendum, crate et coopertorio claudendo ob [illegible], quandoquidem

Valde indecens est, quod una eadem pars lapidis baptismalis inserviat pro aqua sacra, altera pro piscina vel sacrario.

12:mo Res autem quae non sunt fluidae imposterum comburendae, et non in sacrario imponendae sunt.

13:tio Tabulae Canonis honestiores procurandae.

14:to Cancellae circa altaria nimium sunt angusta, unde magis ab altari removeri debent, et in talem formam redigi, ut comunicantes sacram synaxim comode accipere possint.

15:to In Confessionali ex parte poenitentium ponatur aliqua pia imago, ex parte confessarii verò affigantur casus reservati.

16:to Cum in Ecclesia deficiant scamna pro sexu muliebri, et deputati Comunitatis enixè rogaverint, ut hac in re aliqua gratiosa ordinatio fieret, hinc iustae petitioni non denegatur gratia, modò scamna expensis petentium, et cum aliqua recognitione annua pro Ecclesia ordinatè et decenter erigantur, quam facultatem publicari volumus, ut illi patres familias, qui ad expensas faciendas se offerunt, et pro iure ad dies vitae, vel pro perpetuo usu cum ratificatione Rdmi Consistorii aliquid dare volunt, se insinuare possint, habita certitudine concurrentium expensas regulare possunt.

17:mo Fenestrae in Ecclesia saltem successivè renovandae, et in meliorem formam redigendae sunt, ut Ecclesia,

quæ valde obscura est, ut lumina recipere queat. item ferreis crattibus altem ob periculum irruptionis a [illegible] obducenda.

10.^vo Quandoquidem vexilla inventa sint omnino lacera, et vetustate consumpta, nec illud confraternitatis exprimat mysteria SS. Rosarii, quamvis in quibus mensibus habeatur processio, hinc saltem unum per benefactores, vel aliam collectionem procurari debet, ut confratres et sorores ad considerationem Mysteriorum incitari possint, non minus

19.^no Procurandum est Baldachinum ex materia non quidem pretiosa, quod ob paupertatem loci fieri non potest, sed tamen decenti, sine quo SS.^mus sacramentum publice in processionibus in ostensorio circumferri non est licitum.

20.^mo Breve Ap.^licum altaris privilegiati pro confratribus, quod sequenti anno expirat, omnino renovandum est.

21.^mo In Sacristia causa humiditatis omni meliori modo removeri, et ex altera parte fenestra fieri debet, ut transiens aer humidum locum melius exsiccare valeat.

22.^do In ea quoque procuretur genuflexorium cum pia imagine, ubi sacerdos ante missam se præparare, et post sacrificium gratiarum actionem peragere possit; item lavacrum ad lavandas manus.

23.^tio In Casulis est valde notabilis defectus, unde Ecclesia

Successivè de melioribus providendum interim tamen illas, quo defacto adsunt, omnino reficienda, et a sordibus maxime in stolis sunt purgandæ.

24.to Calices, qui vix non profanationem mererentur, præcise ob paupertatem Ecclesiæ usque ad aliorum procurationem tolerantur.

25.to In Cœmeterio porta ita refici debent, ut nocturno tempore claudi possint.

26.to Cum Crypta seu ossarium sit adeò ruinosum, ut nullo modo ad excitandam pietatem erga animas defunctorum deserviat, hinc videtur melius esse, si locus pro suffragiis mortuorum superius destinetur, ac prout decet præparetur.

27.mo Locus etiam pro sepeliendis infantibus decedentibus sine baptismo præparari et claudi debet.

28.vo Defectus, qui in Campanili fuit notatus, ob quem aqua pluvialis in turrim defluit, haud dubiè jam fuit sublatus, aliàs sine mora remedium adhibendum.

Decretum in Visitatione Pastorali 2 Julii 1749.

Subsignat: L: Baro de Gimenberg Can: Cath: Lun: Visitator ... ta

4